

*Nisi admissus fuero, ad priora redibo facinora, eversurus etiam monasterium.* Tunc abbas admisit, admissus reliquos septuaginta monachos virtutibus superavit, adeo, ut miracula peregerit, et quod admirabile præcipue, factus mutus, nihil omnino præter psalmodiam loqui ulterius potuit. Ejus rei testis est, qui viderat, ut ibi attestatur. Tales ego mutos optarem vos esse, auditores, ut nihil aliud loqui, nisi quod ad Dei gloriam tendit, sciretis.

V. Ante resurrectionem comedebat præ esurie et cum appetitu, sicut cæteri homines, sed postea non item; comedit enim solum ad probationem suæ resurrectionis, et sine appetitu, quia cibo non egebat amplius. Itaque et nos, si prius in cibum et potum nimium effusi fuimus, nunc saltem ad temperantiæ limites appetitum restringamus: si prius viximus, ut comederemus, nunc comedamus tantum, ut vivamus: si prius comedimus ut pecudes, quæ saginantur ad macellum, comedamus nunc ut homines. Præbet huic doctrinæ stimulum, quod legimus de Gulielmo, Aquitanie duce, Pictavorum comite, qui sæculo adhuc militans tantæ edacitatis et bibacitatis erat, ut ei vix quolibet prandio ea cibaria sufficerent, quæ octo fortissimis edacibusque juvenibus pararentur. At ubi mundi delicias excussit, Deoque se totum per conversionem dedit, jejuniis occupatus, pane modico et aqua contentus, magna in sobrietate vixit ut scribit Teobaldus episcopus, in vita ipsius Gulielmi, cap. I. et c. XXIV. apud Surium, tomo I. in februario. Accidit persimile anonymo cuidam viro, a demonibus obsesso, cui cadus ac panis modii tres quotidiano illi alimento non sufficerent: at ubi Macarii virtute divina ope, demoniaca insania liber existit, tres ad summum panes quotidie illi in alimentum cessere, ut ex vitis patrum constat, p. II. cap. VIII. in impressione quadam recentiore. Mulier quoque Syriaca quædam triginta gallinis quotidie saturabatur; at ubi divi Macedonii lustrali aqua conspersa est, perexigua carne alebatur, ut Theodoretus recolat in Philotheo, qui ejus temporis scriptor fuit, quandoquidem Macedonio ipsi valde familiaris erat. Tanta est quorundam voracitas et bibacitas, ut obsessis videri possint, et quod ipsi abliguriunt id multis temperantibus sufficeret. Pellendus ergo hic dæmon, compellendus ad sobrietatem venter nova vivendi et victitandi consuetudine, nisi malit aliquis cum diabolo cœnare in inferno.

VI. Prius in eadem specie semper apparebat, uti facile agnosci posset, sed non item postea. Enim Magdalene in horto existenti, apparuit velut hortulanus; discipulis duobus, peregrinantibus in Emmaus, apparuit velut peregrinus;

alias alia specie apparuit eisdem. si non alia forma corporis, saltem alio habitu, vestitu, gestu vel decore, et ideo non statim eum agnoverunt; ut cum piscantes viderunt eum in littore, sed non agnoverunt initio: sed in hodierno evangelio, cum congregati putabant eum esse spiritum. Sic decet, ut post resurrectionem nostram non simus iidem, qui fuimus, sed in novitate vitæ ambulemus. Simus velut hortulani animæ nostræ, semper evellendo et plantando aliquid, quod promoveat salutem, simus peregrini, quasi cælo delapsi, et in mundo ignoti: mundum ut alienum aspiciamus, utamur eo ut hospitio, etc. In hanc sententiam scripsit S. Ambrosius, lib. II. de pœnit. cap. X. « Seipsum homo abneget, inquit, et totus immutetur. Sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt post amores meretricios peregre profectum, et abolito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ. Quæ ubi non interpellata, mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum, responderit ille: Sed ego non sum ego. » Sic ille. Et hoc est, ni fallor, quod ait Dominus: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* In quem locum S. Gregorius, homil. XXXII. in evang. ait: « Tunc nos ipsos abnegamus, cum vitamur, quod per vetustatem fuimus, et hoc nifimur, quod per novitatem vocamur. Pensemus, quomodo se Paulus abnegaverat, qui dicebat: (Gal. II.) *Vivo autem non ego.* Extinctus quippe fuerat sævus ille persecutor, et vivere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profectus non esset. » Quod ad Romanos, c. XII. scripsit apostolus, omnibus nobis scripsit, scilicet: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri.* Non ait: Nolite uti sæculo, cibo, pecunia, potu, quiete, recreatione, hominibus; (his enim utendum) sed: Nolite in his conformari mundo, qui in his acquiescit. Et hoc est exuere veterem hominem, et induere novum, quod utinam nobis omnibus hodie contingat. Amen.

## CONCIO V.

SCHOLA MEMORIÆ, SEU QUORUM MAXIME DEBEANT MEMINISSE CHRISTIANI.

I. Memento Dei: 1. Omnipræsentie ejus. 2. Beneficiorum Dei. 3. Mandatorum Dei. — II. Memento proximorum: 1. Vivorum. 2. Defunctorum. 3. Patrum spiritualium. — III. Memento tui: 1. Prioris status tui. 2. Peccatorum. 3. Mortis tuæ.

## THEMA.

*Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.* Luc. XXIV.

Miraculum naturæ est, quod scribit Plinius,

lib. XXXI. c. II. in Bœotia juxta flumen Orcho-menon duos esse fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem affert, indeque nomina eis indita. Non erravero, auditores, si hunc fluvium dixerò evangelium S. Lucæ, quod heri et hodie legimus, ex c. XXIV. In eo enim reperio duos istiusmodi fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem gignit. Vidimus in hesterno evangelio traditam nobis disciplinam oblivionis, profluentem a Christo Domino, qui in sua resurrectione omnium præteritorum dolorum oblitus esse videbatur. In hodierno deprehendimus fontem alterum, disciplinam scilicet memoriæ, promanantem ab eodem Christo, qui discipulis suis refricat in memoriam ea, quæ toties eis prædixerat de sua passione et resurrectione: *Hæc sunt verba,* inquit, *quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum.* Dicunt medici, et experientia docet, lethargum esse morbum provenientem ex pituita humidioris et frigidiore, cerebri ventriculos, in quibus sedes est memoriæ, opplente, indeque oblivionem rerum omnium inducere. Hujusmodi morbo correpti erant apostoli, oblitum inquam omnium illorum, quæ de sua passione et resurrectione toties illis inculcat Dominus: ideo in hodierno evangelio haustum illis propinat de memoriæ fonte, revocans in mentem, quæ dudum illis prædixerat, q. d. Recordamini verborum, quæ dixi ad vos cum ascenderemus Jerosolymam, quia oportet Filium hominis tradentibus, flagellari, conspui, occidi, et post hæc tertio die resurgere. Refert Plinius, l. VII. c. XXIV. quemdam ex præalto tecto lapsum, matris et propinquorum, alium ægrotum servorum etiam, sui vero nominis Messalam Corvinum oratorem oblitum fuisse. Sed quid, si etiam nos hoc morbo laboraremus? Obliviscimur enim Dei, obliviscimur proximi, obliviscimur et nostri tanto perniciosius, quanto culpabilius. Huic ergo pernicioso morbo ut mereamur, auditores, bibemus hodie ex fonte illo, qui memoriam gignit.

I. Meminisse præ cæteris oportet Dei optimi maximi, et imprimis præsentie ipsius omnibus in locis. Hoc inter alia præcepta inculcavit Tobias filio suo: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum,* Tob. IV. Idem omnibus præcipit Sapiens, Prov. III. *In omnibus viis tuis cogita Dominum, et ipse diriget gressus tuos.* Ratio, quæ nos ad hoc impellere debet est primo, quia revera nobis Deus semper et ubique præsens est, regens et conservans nos. Grandis autem incivilitas, imo stoliditas foret, habere semper in conspectu ducem tuum, et non subinde respectare illum, a quo regeris et sustentaris. Hanc

causam expendit David, Psalm. XV. dicens: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Secundo quia etiam ipse perpetuo in nos respicit, observans omnia nostra, et ne ad momentum quidem nostri obliviscitur. Quis autem est, qui advertens regis oculos in se defigi intentissime et adhibitis perspicillis, mentem non colligat, ad modestiam se non componat, et præsentiam regis semper cogitet? Quis rege insuper habito ridere, fabulari, nugari, oculis evagari audeat? Hanc causam tangit Augustinus, in Psalmi XXXI. *Firmabo super te oculos meos,* expendens: *Non auferam a te,* inquit, *oculos meos, quia et tu non auferes a me oculos tuos.* Tertio, quia non qualiscumque est inspector, sed terribilis et tremendus: et si forte deliquerimus, juxta severissimum. Atqui videmus vel ipsos parvulos, ubi aliquid deliquerint, v. g. vitrum frugerint, vel agere quiddam voluerint, quod an patri placiturum sit, dubitant, illico in patrem oculos ex obliquo conjicere, vultumque ejus metuere ex naturæ instinctu. Cum ergo et sæpissime delinquamus, et plerumque incerti simus num actus nostri Deo placeant, quomodo non continuo in Deum respectamus cum timore et tremore? Quarto, quia est largitor omnium bonorum, quæ ab ipso velut unico fonte continuo ad nos manant. Hinc ergo S. Ambros. l. de dign. cond. hum. c. II. dixit: *Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate vel misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria,* a cap. Deinde meminisse oportet sedulo beneficiorum Dei, nullumque diem prætermittere, quin ea mente revolvamus, Deoque accepta feramus, præsertim specialia. Cujus rei præceptum et quidem crebro inculcatum legimus Judæis, Deut. VIII. ubi ait Moyses: *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, etc.* Et rursus: *Recordaberis Domini Dei tui quod ipse vires tibi prætulit, etc.* Omnes vero tangit, quod per Isaiam, c. XLVI. ait Dominus: *Redite prævaricatores ad cor, Heb. reducite ad cor;* quomodo videlicet vos creaverim, educaverim, sustentarim, etc. Ratio, quia hanc quasi pensionem et censum pro beneficiis debemus largitori memoriam beneficii, quæ sane minimo constat. Quod vel ethnici agnoverunt, uti Seneca, qui scripsit, l. II. de benef. cap. X. *Hæc beneficii inter duos lex est: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam.* Exigit hanc pensionem Deus plerumque in magnis beneficiis, uti cum in memoriam dati manna jussit asservari ejus gomor in taber-

naulo, Exod. XVI. Cum erigi duodecim lapides in memoriam divisi Jordanis, Jos. IV. cum in memoriam creationis celebrari sabbatum, Gen. II. in memoriam conservationis et gubernationis festum neomeniæ, Num. XXVIII. in memoriam liberationis a Pharaone pascha, Exod. XII. data legis pentecosten, etc. Reddidit hanc pensionem sancta illa Anna quæ in memoriam accepti a Deo filii, vocavit filium *Samuelem* (hoc est) *positum a Deo*, vel, *dedit illum Deus*, eo quod postulasset et accepisset illum a Domino, ut hoc beneficium e memoria nunquam ei excideret, et Samuel, quoties audiret suum nomen, debere se Deo, recordaretur, quod esset et viveret, I. Reg. I. Reddidit et Judith, quæ in memoriam devicti Holofernis omnia ejus armamenta et conopæum obtulit templo Domini in anathema oblivionis, hoc est, in execrationem et detestationem oblivionis, quasi anathemate feriendus esset, qui beneficium illud oblitus fuisset, Jud. XVI. Reddidit et Judæi, qui figuram accepti mannae impressere monetis suis, siclis, teste Aria, I. de mensuris, ut tanti beneficii toties meminissent, quoties pecuniam tractarent.

Sed et Dei mandata memori mente reponenda passim præcipit nobis Scriptura, uti Prov. III. *Fili, ne obliviscaris legis meæ*. Atque idcirco tam accurate præcipit Deus Judæis, Deut. VI. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis ea sedens in domo tua; et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ*. Quid amplius, quæso, ad commendationem præceptorum suorum dicere potuisset Dominus? Igitur Hebræi hæc omnia ad litteram intelligentes decalogum membranulis inscriptum, brachio, fronti, fimbriis et ostiis domus affigebant, quæ vocat Dominus phylacteria, Matth. XXIII. Verum aliud non vult Deus nisi ut jugum legis divinæ in memoriam habeamus, ita ut in omnibus actibus et gressibus sit quasi res pendula ante oculos nostros seu regula actionum nostrarum. Propterea etiam David legem Dei vertere in cantilenam solebat (quod etiam cum suis legibus fecisse gentiles, scribit philos. sect. XIX. probl. n. 28.) ut eam inter occupationes alias mente revolveret, unde ait Ps. CXVIII. *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*. Ratio est, quam dat eodem Ps. dicens: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, hoc est, summa diligentia, studio et sollicitudine; quia qui præcipit, est magnus nimis: merces servantibus promissa est magna nimis, pœna prævaricantibus imminens est magna nimis.

II. Meminisse oportet proximorum ac primæ quidem, vivorum ope indigentium; quod imprimis commendarunt Paulo et Barnabæ tres illi magni Christi apostoli Petrus, Jacobus et Joannes ad Gal. II. ut videlicet pauperum memores essent. Quod et fecit aliisque faciendum serio inculcavit cum ad Hebr. XIII. scripsit: *Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci*. Communionis, id est, communicationis, ut legit Syrus, in pauperes. Paulo etiam superius, eodem c. dixerat: *Hospitalitatem nolite oblivisci*. Et quibus quæso hæc loquitur? Judæis ad Christum conversis, quos supra c. X. dixerat omnibus suis bonis a Judaicis magistratibus propter Christum spoliatos et rapinam bonorum suorum passos. His itaque tam egentibus tam serio commendat misericordiam in egentes quasi rem prorsus necessariam. Commendabat illis immediate ante Dei laudem et orationem, moxque eis appendit beneficentiam in pauperes quasi duas hostias quibus placetur Deus. Ait ergo: *Dum volo vos hostiam laudis offerre, nolo vos eleemosynæ oblivisci*. Volo vos ita agere Magdalenam ut non negligatis Martham. Illa manus dextra, hæc sinistra est. Quin etiam contingere potest, ut hæc dextra, illa sinistra sit, ut ostendit Dominus, Matth. IX. ex Osea, VI. c. *Misericordiam volui et non sacrificium*: quia cum necessitas urget pauperem, cedit illi Deus, quomodo Julius Cæsar hospitio exceptus in vili tugurio, in quo unus tantum lectulus erat, concesso cuidam infirmo militi lecto, dormivit cum reliquis sub Jove pluv. ante tugurium totam noctem. Tanti nimirum refert misereri pauperum! Quocirca Josaphat rex apud Damascen. in hist. c. XXX. relicto regno tendens ad vitam anachoreticam Barachæ quem sibi in regno substituerat, valedicens, hoc ei primum dedit præceptum et memoriale: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*.

Secundo, defunctorum, quos in purgatorio adhuc detineri posse credimus. Horum enim oblivisci nequaquam decet vivos, necessitudine præsertim aliqua sibi devinctorum, de quibus jure conqueri alioqui possent cum Davide, Ps. XXX. *Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde*, q. d. putant, jam de me actum esse ideoque obliviscuntur mei. Non fecerunt istud veteres, qui ut scribit Forch. de funeribus, cordis figuram sepulcris defunctorum suorum inculpebant, indicantes se eorum memoriam in corde suo habere. Non sic Ecclesia mater nostra, quæ in missa præcipit memoriam defunctorum suorum fieri, dicente sacerdote: *Memento etiam Domine famularum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis*. De quo

Euseb. Alexandrinus, hom. in diem dominicam, ait: *Memento in oblatione etiam eorum qui de vita jam discesserunt parentum ac fratrum*. Hoc si feceris magnam eis requiem præbes. Non denique sic Judas Macchabæus, qui suorum in prælio cæсорum militum memor, venit altera die cum suis ut eorum corpora poneret in sepulcris paternis; et cum invenisset quædam furta de donariis idolorum (a quibus lex prohibet Jud.) sub interfectos unicus ad preces conversus rogavit ut delictum hoc, ob quod cecidisse videbatur, oblivioni traderetur (in Græco habetur, *ut peccatum admissum perfecte deleteretur*, ita scilicet ut nulla ejus litura vestigium appareret, adeoque non quoad culpam solum, sed etiam quoad pœnam dimitteretur) deinde facta viritum collatione duodecim millia drachmarum argenti (faciunt 2000. nostrates florenos) misit Jerosolymam offerre pro peccatis mortuorum, II. Macch. XII. Nos etiam si defunctorum animos possemus explorare, plerumque furta aliqua militaria, hoc est, delicta venialia, vel reatus peccatorum nondum deletos reperturi essemus; decet igitur nos pro ipsis preces imprimis fundere et viritum singulos stipem aliquam conferre pro eorum liberatione; sive ea sit eleemosyna, sive missæ sacrificium, sive aliud opus pium. *Memento vincitorum*, ait cit. loco apostolus *tamquam simul victi*. Quinam vero magis victi sunt, quam qui in purgatorio detentiseipsos juvare nequeunt, sed vel rigorem justitiæ expletum, vel suffragia piorum expectare debent?

Tertio, patrum nostrorum spiritualium in cælo jam triumphantium, a quibus fidem catholicam edocti et christianismo initiati sumus. Hoc enim ibidem commendat nobis apostolus dicens: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes*, (Græce recogitantes seu iterum iterumque cogitantes) *exitum conversationis, imitamini fidem*. Qui sunt autem isti nostri præpositi? Bonifacius, Wilibaldus, Burekardus, Kilianus, Udalricus, Wolfgangus, Rupertus, Corbinianus, Conradus, Otho, aliique primi Germaniæ apostoli, quorum meminisse oportet. Primo, ut ab ea fide, quam nobis tradiderunt, nos divelli ne patiamur, nec novatores audiamus. Memores simus parentum nostrorum, cujus religionis fuerint et unde eam hauserint. Itane Lutherus vel Calvinus fidem intulere in Germaniam? Nonne post sementem bonam zizaniam primum sparserunt? Deinde ut non solum eorum fidem, sed vitæ conversationem crebro ob oculos nobis ponamus et imitemur, vel ubi imitari non possumus, saltem admiremur, ideoque gesta illorum legamus. Denique ut fe-

licem illorum exitum et vitæ coronidem, gloriam videlicet in cælo et in terra partam contemplemur. *Ecce enim quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est!* Quis unquam imperator sibi suis præliis, victoriis et triumphis tantam nominis immortalitatem et in cælo gloriam peperit atque isti? Ad illorum ergo palmas, ad illorum thronos crebro elevemus oculos, memores patriæ nostræ, quam illi jam occuparunt, nos vero adhuc oppugnamus. Dicamus cum Davide: *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea*, Psal. CXXXVI. *Ubi est enim thesaurus noster, ibi et cor nostrum erit. Numquam, inquit, Cicero in Catone majore senem quemquam audivi oblitum quo loco thesaurum obruisset, tametsi alioquin in senibus minuitur memoria. At ubi quæso nos defodimus thesaurum nostrum? Nonne in cælo? Absit ergo a nobis oblivio thesauri hujus.*

III. Meminisse unumquemque oportet sui ipsius quis fuerit, quis sit, quis futurus sit; ac primo, status sui in quo aliquando fuit, vilis et contemptus: ne super alios se extollat. Notum est Agathoclem regem patre figulo natum cœnasse semper in vasis figulinis ut figulum se aliquando fuisse meminisset. Notum etiam Vili-gisum archiepiscopum Moguntinum rhedario patrenatum, rotæ effigie sua condecorasse insignia, sibi que identidem dixisse: *Viligise, memento qui sis et qui fueris*. Eo pertinet et hoc quod Placilla uxor Theodosii, qui ex milite creatus erat imperator, crebro ei occinebat: *Semper te, mi vir, cogitare oportet quis olim fueris et quis jam sis*, Theod. I. V. hist. c. XVIII. Secundo peccatorum tuorum, ut ea defleas. Ita præcipitur Ezech. XXXVI. *Recordabimini viarum vestrarum pessimarum studiorumque non bonorum: et displicebunt vobis iniquitates vestræ et scelera vestra*. Vatablus ex Hebr. vertit: *Pudebit vos in facies vestras iniquitatum vestrarum*. Ita Deut. IX. *Memento et ne obliviscaris quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum*. Ita Jer. II. *Vide vias tuas in convalle. Scito quid feceris*. Vult dicere: *Aspice vestigia quæ terere consuevisti in valle Ennon, ubi filios tuos idolo Moloch immolasti: illa testes sunt idololatriæ, stultitiæ et impietatis tuæ*. Ita Apoc. II. *Memor esto unde excideris*. A Deo excidisti et cælo. in profundum abiisti, cecidisti. Audi S. Greg. super VII. Ps. pœnitent. *Attendat inquit, unusquisque in quo profundo jaceat et quam longe a Deo perverse agens affectus sit, etc.* Sane brutæ etiam animantes ubi in benefactores suos aliquid deliquissent, memores delicti et pudore suffusæ vel suimet ultrices repertæ sunt. Ad Nilum in eremo lupa cuidam anachoretæ sedulo

astabat et cibum e manu capiebat, interim manum ejus quasi deosculans. Hæc aliquando absente monacho tuguriolum ejus fame urgente ingressa panes a sporta abstulit: at mox furti memor ac pœnitens per dies plurimos pudore ducta non rediit. Reversa tandem depressis oculis et capite se accusans veniam delicti ut poterat petiit. Ita habent vitæ patrum, p. III. c. VII. Ad Jessum urbem delphinus puerum adamabat atque in tergorum sua invitatum vehebat per mare quam longe puero placeret, tandemque ad littus revehebat mira pueri et piscis et spectantium delectatione. Tandem cum incautus puer in delphinum insiliret, in spinam dorsi incidit sicque transfosso umbilico extinctus est; quem delphinus restituens littori, conspiciens saucium, sanguinolentum ac defunctum, mortis causam sibi attribuens, animi defectu ipse quoque expiravit, ibique Jassenses utriusque sepulcrum statuerunt. Refert Plin. l. IX. c. VIII. Ælianus, l. VI. cap. XIV. Bestiæ igitur erubescunt de erroribus suis et doloris sensu tanguntur: non erubescat homo? Non doleat peccator?

Tertio, mortis suæ. Ita enim monet Ecclesiasticus, cap. VII. *Memorare novissima tua et in æternum non peccabis.* Et cap. XIV. *Memor esto quoniam mors non tardat.* Eandem nobis memoriam excitare volens Ecclesia, initio quadragesimæ inspergit cinerem in capita nostra dicens: *Memento homo quia pulvis es et in pulverem revertaris.* Docuit S. Augustinus, l. X. confess. cap. XIV. memoriam esse in anima quod est stomachus in corpore, ideoque eam sæpe animæ stomachum vocat. Quemadmodum ergo stomachus si languens sit, cibos non retinet nec concoquit, indeque vitam in periculo ponit: ita si memoria meditationem mortis non retineat, signum est male affecti et de salute periclitantis animi. Ideirco Ecclesia potentissimum medicamentum fovendæ et roborandæ memoriæ adhibere voluit, cinerem. Hoc autem quod Ecclesia semel in anno facit, facere nos quotidie decet. Sane hoc medicamen præscribere voluisse videtur Deus Adamo et Evæ, cum e mortuorum animalium pellibus vestes eis confecit, uti sentit Glossa interlin. Gen. III. Eodem pharmaco usi Elias et Joannes Baptista dum zona pellicea se cinxerunt. Post hos S. Joannes patriarcha Alexandrinus dictus Eleemosynarius, qui sibi monumentum sed imperfectum extrui jussit; solemnibus autem festis in conspectu multorum voluit sibi a fabris dici: *Monumentum tuum, domine, adhuc imperfectum est; jube ergo ut tandem perficiatur, incertum enim est qua hora mors ventura sit.* Refert Leontius in ejus vita. Alii ut hanc memo-

riam crebro in se excitent, mortuorum crania in suis asservant cubiculis, alii sepulera obeunt. Denique ad hunc finem credit E. Chrysostomus, hom. V. de Spiritu s. tom. III. factum esse antiquitus ut juxta portas civitatum sepulera extruerentur omnibus conspicua, quo ingredienti scholam humilitatis suæ præ oculis cernentes, memores essent mortis suæ. Quare, auditores, frequentemus quæso sedulo scholam hanc memoriæ; et discamus qua ratione Dei, proximi et nostrimet oporteat meminisse, ne obliviscatur nostri Deus, uti minatur Ose. IV. synagogæ: *Oblita es legis Dei tui: obliviscar filiorum tuorum et ego.* Quin etiam magis in dies proficiamus in hoc studio, ne de schola memoriæ detrudamur ad scholam oblivionis æternæ, ubi nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt; ubi Deus per omnem æternitatem obliviscitur damnatos; quod a nobis ipse avertere dignetur.

## CONCIO VI.

AD PACEM ET CONCORDIAM QUÆ INVITENT.

I. Universum. — II. Pacis pulchritudo. — III. Pacis utilitas. — IV. Favor Dei. — V. Communio paschalis.

## THEMA.

Pax vobis. Luc. XXIV.

Duces et imperatores hujus sæculi a bellis et victoriis suis titulos sibi assumpserunt. Scipio Africanus a bello Africano, Vitellius Germanicus a Germanico bello ita vocari voluit: non ita dux et imperator noster Christus, qui a pace potius, quam natus mundo intulit, moriturus reliquit et redivivus commendavit, nomen habere voluit. Sic enim Isaias, cap. IX. prædixit vocandum eum: *Principem pacis.* Illi forte pacem tandem pepererunt, sed per bella, per cædes, per urbium eversiones, et pacem mundi fallacem; Christus veram et christianam pacem nobis acquisivit, non aliorum internecone, sed sua unius morte. Unde ait: *Pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Illi occiderunt, ut fruerentur pace; iste occisus est, ut frueremur nos. Quando igitur dux noster est *Princeps pacis*, utique tales etiam vult habere milites, qui paci et concordie studeant. Sic enim de iis prophetavit idem Isaias, c. XI. *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit, vitulus et leo et ovis simul morabuntur.* Quamobrem, auditores, ut veri milites Christi sitis, conabor hac concione ad pacem vos accendere. Vos audite.

I. Ad pacem invitat nos primo, universum, quod pulcherrima proportionem et pace conexum et firmatum est. Imprimis naturæ auctor Deus trinus quidem in Personis, unus tamen est non tantum in essentia, sed etiam in voluntatum unione. Unde dicitur *Deus pacis*, imo *pax ipsa*, ab apostolo, II. Cor. XIII. Eph. II. Deinde in cælo inter angelos pax summa est et omnimoda concordia, tametsi specie inter se differant. Et cum Lucifer pacem illam turbare vellet, dejectus est in infernum. Ad hæc in motu celorum solis, lunæ ac siderum cursu quanta pax et confœderatio? Præest ille diei, hæc nocti, neque vera est vulgi fabula, solem pugnare cum luna in eclipsi. Elementa item suis consistunt locis et alterum alteri cedit, imo et in alterius gratiam contra naturam suam movetur, levia descendunt, gravia ascendunt, ne reliquatur vacuum, adeoque ne dissolvatur unio et harmonia corporum in universo. Quatuor item anni tempora placide miscentur et sensim mutuo sibi cedunt. In homine quamdiu qualitas est concordia, tamdiu viget sanitas: illa dissoluta, morbus adest. Quin et animalia pacis sunt amantia. Præterquam enim quod *omne animal diligit sibi simile* (Ecl. XIII.) Accipitres in Thracia, teste Æliano, lib. II. cap. XLII. adjuvant homines in aucupio. Aucupes enim retia tendunt; accipitres vero aves in ea compellunt: post una prædam partiuntur. Lupi, quando iis flumen transeundum est, ne aquarum vi evertantur, caudis se invicem mordicus tenent, unde longum ac forte agmen constituunt, quod per-rumpere cum non valeant fluctus, nullo negotio tutissime transnatant, Ælian. l. III. c. VI. Cervi flumen trajicientes aut fretum cibi conquirendi gratia, eum servant ordinem, ut capitum suorum onera super se invicem portant, posteriore super antecedentis tergum cervicem collocante, Plin. lib. VIII. cap. XXXII. etc.

II. Secundo, pacis ipsius pulchritudo et suavitas juxta id Isa. XXXII. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Pax tempore sereno similis est, bellum et discordia tempore tempestuoso, tonitruis et fulminibus ac grandine horrenti: pax sanitati, bellum ægritudini. Quis autem non malit serenum quam nubilum et fulminans cælum: sanitatem quam ægritudinem? Antonius Pius imperator dicebat: *Malo servare unum civem, quam mille hostes occidere*, Jul. Capitolino auctore. Fridericus III. Saxonie dux pacis amans, nullas arces aut munitiones condidit, imo conditas ab aliis solo æquavit: nec pecunias congregabat, sed in usus pios et utiles expendebat. Rogatus cur id faceret, respondit: *Ne ego leviter of-*

*fensus aliquando arcibus et pecuniis meis confisus, nimis facile vicinos me inferiores bello lacessam, et pacem cum eis violem*, Joan. Agricola in proverb. German. Hoc est quod apostolus monet ad Coloss. III. *Pax Christi exaltet in cordibus vestris*, Græce, *palmam ferat*. Ita Abraham cedendo fregit iram et contentionem pastorum Lothi, ita David iram et invidiam Saulis fugiendo eique parcendo vicit.

III. Tertio pacis utilitas, et pernicietas discordiæ et belli. *Concordia enim res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur*, ut dixit rex Micipsa moriturus filiis suis, Salust. in Jugurtha. Pax ad maturam ætatem homines perducit. Unde Cræsus a Cyro captus hoc argumento pacem bello prætulit, quod pacis tempore filii sepelirent patres, in bello contra patres sepelirent filios, Herodot.

Pax abundantiam parit, quod indicare voluit Vespasianus imp. nummo, in quo sculptæ erant plenæ spicæ e duabus manibus simul junctis egredientes, ad indicandum pacem et concordiam matrem esse abundantiam. Patet experientia. In pace enim abundantia est, in bello penuria. Pax invictam reddit civitatem. Audiamus testes. Cum Lacedæmonii periclitarentur, et de civitate muro cingenda cogitarent, Isæus sophista illud Homeri carmen recitavit: *Scutum hæsit scuto, galeæ galea atque viro vir*, et adjecit: *Sic mihi state Lacedæmonii et muris cincti sumus.* Idem dixit Sapiens: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas fortis.* Marcus et Marcellianus, christiani fratres stipitibus infixi psalmum illum cantabant: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* Cumque irriderent tormenta, erubuit Diocletianus et ambo lanceis confodi jussit. Scilurus rex Scytharum octoginta liberos masculos habens, cum esset moriturus, fasciculum jaculorum singulis porrexit, jussitque rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula jacula exemit, atque ita facile confregit omnia, filios admovens his verbis: *Si concordes eritis, validi invictique manebitis; contra, si dissidiis et seditione distrahimini, imbecilles eritis et expugnati faciles.* Non potuit Scythia magis Sythice rem ob oculos ponere, Plutarchus in apophtheg. Quos si nos Christiani pari concordia muniti essemus, non difficile vinceremus Turcas aliosque Ecclesiæ hostes. Contra discordia omnia dilabuntur juxta id Domini: *Omne regnum in seipso divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.* Et ad Gal. V. *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Id ipsum insinuaturus Atheniensibus inter se dissidentibus, Leo Byzantius sophista, venit Athenas populo concordiam